

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
EXEMPLA QUÆDAM
VENARUM INFLAMMATIO-
NIS CUM EPICRISI

EXHIBENS,

QUAM

CONSENTIENTE AMPLISSIMO MEDICORUM
ORDINE

IN

UNIVERSITATE CÆSAREÆ LITERARUM
DORPATENSI

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINÆ

LEGITIME OBTINENDO

LOCO CONSUETO

DIE I. JUNII MDCCCXX

PUBLICÆ DEFENDET

AUCTOR

ADOLPHUS WALTER

CURONUS.



.....
DORPATI LIVONORUM
EX OFFICINA ACADEMICA J. C. SCHUNMANNI.
MDCCCXX.

P A T R I

OPTIMO CARISSIMO

JOANNI GEORGIO WALTER

Pharmacopolae Goldingensi meritissimo
Scientiarum fautori et amico

Hoc primum litterarum specimen

Pia grataque mente

Dat Dedicat et Offert

FILIUS.

Imprimatur,

ea quidem conditione, ut, simulac typis excusa fuerit,
priusquam distribuatur, septem exemplaria collegio, cui
censura librorum commissa est, tradantur.

Dorpati, die xix. Maj. mccccxx.

Dr. Joannes Fridericus Erdmann,
Censor.

D 17391

P r o o e m i u m .

Sane quidem in hoc meo conatu, venarum inflammationem certius constituendi, regionem medicinae, non omnino exploratam, ingredi ausus sum, quare, novitius artis Hippocraticae, spero fore, ut opinionibus erroneis, forsitan occurrentibus, lector benevolus indulgeat, cum quae memoranda essent, partim ex tribus casibus, quos ipse observavi, et modo enarrabo, partim ex iis, quae alii circa hunc morbum experti sunt, et nuper publicarunt, haurire debebam. — Conatus aliquid pro certo stabilire, viribus meis major mihi videtur, quam ob rem quascunque opiniones proposuerim, lector pro conjecturis benigne habeat.

Ordo autem, qui in perscrutando hoc proposito tenendus esse mihi videbatur, hic fere est:

Primo, historiam morbi aegrotae cujusdam, cui ipse auxilium medicum tuli, enarrabo, in qua si paululum prolixior videar, lector animadvertere velit, omnem hujus morbi decursum non immemorabilem esse, quia exitus infelix, jam per se inevitabilis, venarum inflammatione accedente acceleratus est. Hisce enarratis ad venarum inflammationem ipsam transgrediar, cujus primum causas, tunc diagnosin enucleabo; porro sententiam meam, inflammationem venarum in illo casu causam febris accessoriae atque simul mortis fuisse, defendam; et ad diagnosin prolatam certius constituendam, breviter etiam alteras duas venarum inflammationes, fere eodem tempore observatas, commemorabo; denique etiam opinionem meam qua ratione mortem adduxerint, communicabo.

Huic si meo opusculo assensus artis peritorum non plane deerit, si forsitan experientiae, ducibus viris celeberrimis, quos praeceptores, maxime de me meritos, ad cineres usque colendos, habeo, factae, arti medicae aliquantulum profuerint, hisce lector benevolus tribuere velit, opto.

* * *

Mulier quaedam, Dorpati annos quinquaginta quinque nata, corpore infirmo atque habitu phthisico, die vigesimo septimo Februarii, in sectionem medicam Nosocomii academici recipiebatur. De doloribus capitis, iisdemque in regione hepatis, nec non sicca tussi conquesta est. — Re diligentius explorata, etiam inflammatio dolens colli est reperta. Maxima virium debilitate laborabat, et infirmitas maxima erat, quae verisimiliter partim ex alvi fluxu, vires ipsius vehementissime exhauriente, et prout ipsa affirmabat, jam per tres hebdomades durante, partim etiam ex nimio usu potionum spirituosarum, cui plus justo se dederat, orta videbatur. Hisce morbi symptomatibus, febris etiam adfuit, quae vespertino tem-

pore exacerbare solebat, quamque, aegrota affirmante, copiosus et maxime defatigans sudor. sequeretur, unde valde se languentem sentiebat.

Qua autem ratione morbus initio se ostenderit, quodve organon primum laesum, et qui decursus morbi fuerit, nullo modo percontari licuit. Aegrotam videntibus, morbumque ipsius investigantibus, febris haec non nisi asthenica videbatur, quae nec nervosis nec putridis adnumeranda esset, quia ne ullum quidem systematum, quae in utraque febre, quarum modo mentio facta, potissimum affici solent, laboravit. Utrum ex alvi fluxu, tanquam ipsius causa, febris, vel ex febre prius orta, alvi fluxus, durante febre, enatus esset, investigari non licuit, cum aegrota et hac de re nos nullo modo certiores facere potuit. Interim primam sententiam veram statuendam esse jure putavimus, quia nempe infirmitas semper aetatem provecam comitatur, et quia procatarcticae causae omnes tales erant, quae alvi fluxum facillime elicere poterant, e. g. nimius usus potionum spirituosarum, cubiculum plus justo humidum, parca atque mala alimenta etc. Quibus ex causis statuendum mihi omnino videbatur, alvi fluxum, quum jam debilitato corpori magnam humorum quantitatem detraheret, rur-

sus momentum praediaponens febris factum, eamque ex ipso genitam esse.

Quomodocumque autem se res habeat, methodus excitans et roborans hic adhibenda, et indicatio contra infirmitatem ipsam vertenda videbatur; cum solum victa debilitate laetum exitum sperare possimus. Accipit itaque infusum constans ex cort. Cascarill. $\mathfrak{z}\beta$ ad Colat. $\mathfrak{z}\text{vj}$. in quo extr. opii aquos. gr. ij ; et pulv. gummi arab. $\mathfrak{z}\text{ij}$ solutae erant; cujus, quavis hora secunda, unum cochlear majus ei dabatur. Sed ut una tussis et inflammatio colli comperceretur, decoctum Salep pro potu accepit. Cum diata etiam alens atque facilis concoctu esse deberet, jusculum et caro tosta dabatur.

Aegrota sequente die paululum melius se habebat, bene dormiverat, appetitus increverat, et dolores capitis atque colli imminuti erant. Interea autem, diarrhoea potius aucta quam imminuta, febris ad vesperam exacerbaverat, et tunc nimius sudor, aegrotam valde fatigans, accesserat, durans usque ad matutinum tempus. Cum affectio pectoris semper perstaret, et sputa puriformia apparent, suppurationis pulmonum suspicio exorta est. Quare hesterno die praescriptum infusum, additis Extr. opii granis duo-

bus accepit. Loco potus, qui simul in pulmones ageret, decoctum ex duabus partibus Lichen, Island. et ex una parte Rad. Polygal. amar. exhibebatur.

Die primo Martii matutino tempore aegrotā melius habere se videbatur, dolores colli omnino evanuerant, tussis et sputa iminuta, atque sitis etiam minus urgens erant. Contra autem alvi fluxus creverat, nimii sudores perstabant, aegrotā magis in statu soporoso erat, et de doloribus capitis in sinistro latere, et de aurium tinnitu in sinistra aure conquerebatur. Appetitus deletus erat, infirmitas creverat, pulsus irregularis et vix palpabilis, respiratio impedita, et hodie non tam libera, quam heri reperiebatur. Medicamenta eadem accepit, eo tamen discrimine, ut nunc Extr. Opii aquosi grana octo et Tinct. Catechu duae drachmae admiscerentur, quo majori vi alvi fluxui occurreretur. — Haec defatigatio et sopor perstabant, ne minime quidem aegrotā meridiē prandebat, et in soporoso statu recumbat. Hora quinta vespertina quod hodie praescriptum fuit accepit, sed hora jam sexta in statum apoplecticum lapsa, laesio omnium functionum corporis adveniebat, mentis impos succumbebat, membra rigida et frigida erant, pulsus omnino cessaverat, respiratio fere impedita, et

ita quidem, ut post breves et interruptas expirationes, inspiratio profundior sequeretur. Vesicatoria in pectus et suras posita, inunctiones cum Naphtha in tempora factae sunt; attamen frustra. Quamquam tali in statu vix de sanguinis accumulatione in cerebro, sed potius de apoplexia nervosa cogitandum esset, tamen, omnibus medicamentis hucusque incassum adhibitis, et symptomatibus omnem cunctationem vetantibus, venaesectionem instituere non dubitavimus. Primum sectione venae medianae brachii dextri facta, sanguis tantum guttatim fluebat, et, ut ita dicam, ex vena, frictione extrahi debebat. Quae cum sanguinis emissio frustranea videretur, secunda sectio venae medianae sinistri brachii facta est, sed et hic sanguis tam parce emanabat, ut venas deligari vix operae pretium haberetur. Tota sanguinis evacuatio vix uncias duas aequavit, et sanguis ipse, quod attinet ad mixtionem ipsius, non mutatus apparuit. Nunc rursus sinapismata et in pectore et suris applicabantur. Cum extremitates autem semper frigidae manerent, calido vino usto lavabantur, et excretionē alvina ex illo inde tempore suppressa, atque ne nihilo quidem sputi ejecto, aegrotā adeo etiam elysma ex floribus Chamomillae et sale accepit.

Sequente die status fidem usque ad tertiam horam matutinam perdurabat, quo tempore organismus subito reviviscebatur. Calor lenis revertebatur, respiratio liberior, pulsus palpabilis fiebat, vires cum mentis functionibus redibant. Octava hora antemidiana aegrotata, ad systema nervosum incitandum, accepit solutionem Camphorae viginti granorum in Aetheris sulphurici drachmis duabus. Hora nona aegrotata sibi paululum adsumsit, sed illico rursus evomuit. Functiones vitales tantum in minori gradu apparuerunt, corporis calorem ne sentire quidem licuit, os et extremitates frigidae, cutis sicca, pulsus vix sentiendus, respiratio valde impedita, et irregularis videbantur. Nunc accepit infusum ex Serpenter. Virg. ℞ ad Colat. ℥viii ad quod etiam Sacchari albi ℞ et Tinct. cantharidum scrup. j additus est. Cui mixturae, quotiescunque propinabatur, decem guttae aethericae solutionis Camphorae, cujus jam mentionem feci addebantur. Ad cutis actionem excitandam, calidae inunctiones ex spiritu Sinapeos in toto corpore praescriptae sunt. — Hic status usque ad vesperam perdurabat, quo tempore desiderio edendi quidem capta, omnem tamen cibum cum medicamentis evomuit.

Die tertio Martii aegrotata post levem somnum se recreatam sentit, nec febris se ostenderat, et vespere matutinum tempus sudor, qui, ut aegrotata ipsa affirmavit, frigidus erat, atque duae alvi dejectiones fluidae adfuerant. Vires ita creverant, ut, nullo adjuvante, in lecto ipsa erigi posset. Status extremitatum paralyticus cesserat, atque iisdem aegrotata, quam infirmiter, uti potuit; pulsus fuit validior, respiratio minus impedita atque liberior, et omnino ipsa se recreatorem sensit, sed semper de aurium tinnitu conquesta est. Vomitus autem, tam vehementer auctus fuit, ut ne minimum quidem sine vomitu gustare posset. Aegrotata siti licet non nimis aucta, potionem acidam optans, tunc accepit syrup. rub. idaei ℥ij cum Elixir. acid. Haller. ℥ij ad libitum potui admiscendum. Ut vomitui, qui ex infirmitate generali, et incitabilitate aucta ventriculi interpretandus erat, occurreretur; incitans cataplasma ex pipere vino usto et pane mixtum, quod in ventriculi regionem applicabatur, aegrotatae praescriptum est. Lotiones ex spiritu Sinap. quarum mentio facta, continuabantur, et ut excretionem alvi reducerentur, clysmata etiam ex oleo Chamomill. et sale adhibebatur. Adversus infirmitatem perstantem systematis nervosi accepit ite-

rum Infusum ex rad. Serpent. Virg. ℥vj ad Colat. ℥x cui admixtae fuerant Liqv. anod. m. H. ℥ijj. Aegrotae vehementer usui spirituosorum adsuetae, bis vel ter quotidie cochlear vini usi, si postularet, dari permissum est. Diaeta ex jusculo constabat.

Die quarto Martii febris evanuit, aegrotā bene dormiverat, et vomitus nec non dolores capitis omnino cessaverant. Excrementa prout debebant, crassiora, pulsus fortior, respiratio liberior fuit, ederat cum appetitu, vires evidenter creverant, atque tantum de aurium tinnitu conquesta est; tussin auctam puriformia sputa comitabantur. Cum effectus spiritus Synapeos in cutem optimus fuerat, porro ipso utebamur, et partim ut systema infirmius nervosum incitaretur, partim ut vires auferentur, interne accepit Infusum ex Cort. Cascarill. et rad. Serpent. Virg. an. ℥B ad Colat. ℥vjj cum gummi mimos. ℥ij et liqv. anod. m. H. ℥ijj. — Die sequenti aegrotae status multo melior erat, bene dormiverat, omnino se meliorem atque fortiorem sentiebat. Febris non apparuit, aurium tinnitus cesserat; cum autem quinque fluidae excretiones alvi intervenissent, mixturae heri praescriptae et nunc repetitae, paululum Tinct. Catechu admiscebatur.

Die sexto Martii valetudo aegrotae satis bona fuit, de nihilo conquesta est, alvi fluxus cessaverant, et una tantum evacuatio, conveniente spissitate, adfuit. Lingua autem hodie valde rubens, et crusta quadam obducta, pulsusque febrilis erat; cum autem phaenomena febris minoris momenti essent, ita, ut de morbo recidivo vix cogitandum esset, sed causa in additamento Opii et Tinct. Catechu quaerenda nobis videretur, mixtura hesternā, sine Opio et Tinct. Catechu repetita est.

Die septimo Martii valetudo eadem fuit ut heri, diarrhoea cessaverat, pulsus autem febrilior, lingua rubens, crustaque cujus mentionem feci obducta, et tanquam ardens tactu erat. Medicamenta hanc ob rem nequaquam mutata sunt. — Diebus sequentibus, usque ad decimum ejusdem mensis, febris evanuit, et aegrotā optime se habuit, quare medicamenta repetita sunt. Simul autem venarum stigmata inflammata apparuere, aegrotaque de doloribus in iisdem conquesta est; contra quos, cum non insignes essent, nihil adhuc adhibebatur.

Die decimo primo Martii matutino tempore, status subito mutatus et valde dubius factus est, cum repente febris cum symptomatibus nervosis orta, et

dicere ausim, ad stadium fastigii provecta esset. Arteriarum parvi pulsus per sexagesimam centum octo numerabantur, respiratio valde impedita erat, magnumque decrementum virium observabatur. Musculi extremitatum nec non oris valde tremulabant, lingua rubens, ardens, et aegrotā plurimum in statu soporoso erat; interdum se autem recolligens, de doloribus capitis violentissimis conquerebatur. Brachii sinistri et pedum tumor magnus reperiebatur; inflammaturū venae stigma in sinistro brachio apertum erat, et ubi premebatur, quantitatem puris quandam ex profundo edebat. Jam ne ullum quidem dubium fuit, quin venae non solum inflammatae sed etiam exitus inflammationis, nempe venarum suppuratio, nata esset, cum vena mediana et cephalica a stigmate inde ad tres fere pollices usque in altum duri laquei instar, adscenderent. Ceterum in suris, ubi Sinapismi applicati fuerant, ichorosa secretio orta fuit. Utrum secretio puriformis ex febris aucta, an haec ex inflammatione et supuratione orta fuerit, certa equidem affirmare vix ausim; nihilominus sequior sententia magis probanda mihi videtur, et paginis sequentibus hanc sententiam meam argumentis pro viribus stabilire propositum habeo. — Interim ut vices

aegrotae sustentarentur, decocto-infusum Cort. Chinae ℥i et rad. Serpentar. Virg. ℥β ad Colat. ℥vjj cum Aetheris sulphurici ℥i, et lotio extremitatum cum aceto camphorato praescripta sunt; cumque os frigidum siccumque esset, potui Oxymel simplex additum est, et suris sebaceae lacinae, et venis inflammationis Cataplasma ex pane albo et lacte applicatum est. Vespertino tempore febris aucta erat, et manui tangenti calor mordax occurrebat; respiratio sibilans, et cum potus absorberetur, borborigmi audiebantur. Os, linguaque sicca fuit, ardebatque sicuti cutis; reliquae autem functiones integrae erant. Partim ut omnino incitaretur, partim ut cutis magis efficax redderetur, accepit pulveres e Camphora grj et sacchar. alb. Scrup. j No. vjij. simulque repetita est mixtura, et inflammatione perdurante, Cataplasmata ex pane albo et lacte continuabantur.

Diebus sequentibus status idem erat, et febris perstabat eadem vehementia, semper aestuans. Contra affectio topica, nempe venarum inflammatio, fere superata videbatur, durus laqueus evanuerat, tumor ipse imminutus, et tremor tendinum cesserat. Pulvis et mixtura continuabantur, attamen duo grana Camphorae pro dosi dabantur, et mixturae Aetheris ℥i

additae sunt. — Die decimo quarto Martii, aegrotae statu magis magisque deterius reddito, febris ad summum fastigium pervenerat, musculorum tremor denuo redierat, lingua nigra erat, eodem colore dentes tincti, nec non gingivae et labia; aegrotata in sopore graviori jacebat et toto corpore tremebat. Medicamenta continuabantur, dosis Camphorae autem augebatur ita, ut nunc grana tria adhaerentur, simul lotiones ex aceto camphorato in toto corpore adhibita, et vinum pro potu datum est. — Omnia quae ad vitam aegrotae conservandam tentabantur, frustranea erant, magis magisque deficiebat, in sopore erat, vix gemebat, nec pulsus sentiendus, respiratio brevis, asthmatica, stertorosa fuit, nec edebat, nec bibebat, et medicamentorum effectus plane nullus erat. Quo in statu tamen usque ad diem decimum quintum vesperi permansit; tunc prandere voluit, paululum autem tantummodo gustavit, et expiravit.

In sectione, postero die facta, haec reperta sunt. In cavitate cranii, et in cerebro ne nihil quidem mutatum; pulmones omnimodo cum pleura concreti, atque haec concrecentia fortis et firma fuit. In lobo superiori dextri pulmonis aposthema, plus ichoris quam puris continens, ortum erat; in lobo in-

feriori ejusdem lateris, multum sanguinis effusi reperiebatur. Pulmones ipsi omnino mutati, concrementis, indurato pure simillimis, repleti erant, inter quae pulmonum substantia purpurea elucebat. Dexteri cordis ventriculus tenuissimus ejusque parietes extensi videbantur. Superficies interna atrii dextri et venarum cavarum ex fusco rubra erat, unde secundum meam sententiam colligi potest, adfuisse venarum inflammationem. Cavitate abdominali aperta, hepar flavescens, ejusdem Parenchyma autem non mutatum repertum est. Ventriculus et intestina pallida et luteola. Colon valde contractum, et in latere inferiore transversae et descendens partis coli ubique concrementa multa, iis, quae in pulmonibus occurrerant, similia reperta sunt. Sinistro brachio explorato, venarum ejus interna superficies inflammata ex fusco rubra et pure impleta apparuit. Quae suppuratio in brachio ad regionem insertionis musculi deltoidei, in antibrachio usque ad manum pergebatur.

Morbus jam per se, subito statu apoplectico accedente, in decursu phthiseos novi et inopinati quid ostendebat; inflammationem venarum advenientem vero effecisse, ut morbus hac forma et cha-

ractere apparet, et mortem jam, ut videtur, haud evitandam acceleraret, verisimilimum est; cum utique jam novae perscrutationes ostenderint, efficaciam systematis venarum non mechanice solum interpretandam esse, quippe cui in organismo humano graviores partes traditae sunt, quam olim existimabatur, eandemque ipsius efficaciam in febris typhosis praecipue ante oculos habendam esse, cum vice versa concludere liceat, affectionem primariam venarum aliis febris singularem quandam characterem tribuere posse.

Primo nunc mihi desquiriturum esset, qua ratione atque quibus ex causis huic aegrotae post venaesectionem inflammatio venae enasci potuerit, quae alias in eodem rerum statu atque conflictu non apparet? Cum autem campus quem quasi hospes ingressus sum, adhuc tam parum cultus sit, et tanquam ager medicinae, ceterum satis feliciter excultae et elaboratae, situ horreat, cumque viri celeberrimi *Hunter*, *Kreysig*, *Hodgson* et *Puchelt*, non nisi paucas quasdam observationes nobiscum nuper communicarint, et a tempore tantum sperare possimus, ut haec mysteria Aesculapii opera medicorum peritorum atque philosophicorum aliquando nobis revelentur,

eo magis mihi ignoscendum fore credo, si tanquam tiro stadium practicum modo ingrediens, nihil in hac re pro certo affirmare, sed tantum opiniones, forsitan probabiles, edicere ausim.

Tanquam momentum praedisponens inflammationis venarum, in hoc morbo, quem exposui, praesentis, aucta sensibilitas in systemate venarum statuenda mihi videtur, quae procul dubio adfuit, et jam ab irritabilitate imminuta, et valde suppressa, pendebat, ita ut venositas arteriositatem superaret, cum ut constat systema venosum et arteriosum sibi invicem opposita sint, et altero factore incibilitatis crescente, alter minuatur. Sic lapsa efficacia systematis unius, alterius vim, ultra statum normalem sustulisse videtur. Etenim si venositas supra statum normalem aucta est, ut in hoc casu demonstrasse credo, jam sine dubio disproportionis et dimicationis in systemate venosae ipso adest, dum vis movens ponderi movendo non respondet. Nonne nunc, cum ab irregularibus venarum motibus et intentionibus sine dubio etiam congestio oriri possit, et efficiatur, quod forsitan in hoc casu factum est, congestio ipsa pro momento praedisponente haberi potest? dum fortiori expansione et incitatione

venarum, verisimiliter ex majoris sanguinis quantitate enatis, quasi nisus morbosus producitur, qui momentis externis nunc majus spatium concedit, et tanquam ansam praebet, ut inflammatio facillime se formare possit.

Quod ad momenta externa in casu nostro attinet, tantum paucae opiniones proferri possunt. Etenim cur vena ipsa sinistri, nec dextri brachii afficiebatur? ad utramque aër accedere poterat, cum, ut jam ante dictum, vulnera nullius lateris deligarentur. Omnino venae laesio ipsa, et aër atmosphaericus procatartictis sane adnumerandi sunt, itaque vena vulnerata utraque inflammatione affici debuisset. — Haec fere sunt opiniones, quas de hac re proferre audeo: nonne aër magis in brachium sinistrum ideo valere potuerit, cum, venaesectione facta, profluvium sanguinis ex hoc fortius quam ex dextro esset? coagulum serius oriri poterat, quum sanguine profluente thrombus sanguinis nascens denuo solvebatur et prolucebatur, aër itaque diutius venae apertum vulnus afficere posset? — An forsitan venae brachii sinistri jam prius in gradu majori affectae fuissent, ita, ut haec momenta externa, quae talia commemoravi, jam per se inflammationem elicerent, quae contra in ve-

nas, dextri brachii non idem valere potuerunt, quia integritas earum in statu meliori erat, et itaque externis incommodis magis resistere possent?

Omnino quidem causis venarum inflammationis in genere adnumerari debere arbitror, quae partim venositati favent, eamque augent, unde quasi momentum praedisponens enascitur, dum venarum inflammationes, secundum observationes novissimas, plurimum hominibus, in quibus constitutio venosa praevalet, inventae sunt; partim pro causis externis eadem habentur, quas tales in inflammationibus aliis contemplamur.

Cum natura venarum inflammationis omnino cum natura aliarum inflammationum convenire videatur, in hac re mihi non morandum, sed ad definitionem specialioremi diagnoseos transeundum esse, denique autem sententiam meam, statum febrilem ex venarum inflammatione et suppuratione, quae praecesserant, ortam fuisse, mihi explicandam esse arbitror.

Symptomata venarum inflammationis, sicuti illa inflammationum aliarum, partim vehementiam inflammationis ipsam, partim sedem earum sequi, quatenus ab ea insignior, vel minus excellens vena afficitur, partim a remotione venae laborantis a corde

ipso, pendere debent. Denique etiam pro certo mihi est, inflammationem aliam sumere formam, prout eadem sola apparet, vel alius morbis eorumque variis complicationibus conjuncta est. Sic procul dubio inflammatio venae nullius momenti sane non ea phaenomena ostendere poterit, quam si vena cava inferior vel superior laboret, et simplex, complicationibus non turbata Organismum non tali periculo, quali eadem inflammatio, simulac jam morbosus status adsit, ut febris hectica vel nervosa, objiciet. Ad diagnosin venarum inflammationis certius constituendam haec mihi praemonenda videntur:

a) Inflammationes venosae saepius in iis organis oriri debent, in quibus hoc systema jam in statu naturali praevalebat, e. g. in hepate, in cordis ventriculo dextro, in utraque vena cava etc.

b) Secundum recentissimas observationes saepissime in tunicis, et quidem in reproductivis, serosis et mucosis, habitant, quod in venis ipsis et etiam in aliis partibus, ubi adsunt, observatur.

c) Plurimum quidem inflammationes illae ex causis quae venositatem augment, e. g. excitantibus animi commotionibus, et pathematibus cet. nascuntur, atque ideo in ejusmodi corporibus observantur, quae

venositate aucta laborant et ubi constitutio epidemica jam per se hunc characterem secum fert.

d) Decursus tardior in venosis quam arteriosis inflammationibus, dolor minor sentitur, quem aegrotans obtusum et prementem pingit, tumor major, color minus rubens, sed magis magisque subfuscus et sublividus est, functiones aegrotantis organi vero maxime laborant et nullo modo cum doloribus comparari possunt.

e) Febris, quae hanc inflammationem comitatur, secundum perscrutationes de hac re institutas, diversa apparet. In vasorum inflammationibus pulsus semper frequens, parvus, duriusculus; contra cutis non fervida, initium morbi autem frigore multo insigne esse solet. Minus frequens vero pulsus in inflammationibus venosis aliorum organorum, itemque parvus et duriusculus, in utroque casu saepe irregularis, ita, ut pulsus alter major altero, nunquam autem intermittens sit. Angor, fere fidelissimus venarum inflammationis comes, semper magnus, symptomata vero systematis nervosi, una laborantis, fere nulla, et saepe plane absentia, mens autem plurimum usque ad mortem sibi constans.

f) Quod demum morbi exitum attinet, haud

raro usque ad diem septimum et diutius morari fertur; phaenomena quidem insignia, et critica non observabantur, tamen ubi hic morbus occurrebat, alvi fluxus auctus, vel arte productus, utilis esse videbatur, dum urina simul non raro sedimentum formabat. Ubi autem resolutio non succedebat, gangraena nunquam, rarius suppuratio, plerumque autem exsudatio lymphae plasticae apparuit, unde massae polyposae et concretiones partium, quae inflammatae fuerant, nati sunt. Postremum hoc perscrutationes, jam prius laudatas, quod inflammatio venosa in reproductivis tunicis, serosis et mucosis apparere soleat, omnino defendere videtur, dum, ut constat, exitus inflammationis in his partibus eadem phaenomena, hac vel illa membrana laborante, secum fert.

Haec fere sunt, quae ad diagnosis inflammationis venarum, prout secundum observationes factas licuit, certiore reddendam, enunciare potui. Nunc signa, quibus a typho dignoscatur, cui simillima est haec inflammatio, eloquar. Scilicet: si ex causis, inflammationem venarum commoventibus (ut ex phlebotomia, vulnere inflicto, operationibus quibusdam) febris perstans cum sensu maximae defatigationis, et minimo, duriusculo atque irregulari pulsu, primitus tamen

sine perturbatione functionum animi, oritur, et aegrotans de ardente dolore in vulnere, cursum venae sequente, conqueritur, forsitan etiam ceruleus laqueus, a loco vulnerato incipiens, animadvertitur, nec non magis impeditus motus partis, agitatio magna et anxietas adest, et demum serius sopor atque spasmi conculsivi musculorum, forsitan etiam leve delirium adveniunt; tunc de venarum inflammatione et supuratione sane cogitandum esse videtur, atque hanc febrem non ut typhum, sed magis inflammationis statum, i. e. methodo antiphlogistica curandam esse arbitror.

Quare venae autem, testantibus viris celeberrimis, saepius quam arteriae inflammantur, si venae, quod contendere solent, in inferiori organisationis gradu positae sunt? Causam phaenomeni certam quandam edicere non audeo, hanc vero sententiam viris doctis propono, scilicet, quamvis incitabilitas non in omnibus venae partibus illi arteriarum aequalis sit, quod sane fieri nequit, cum venis tunica muscularis desit, tamen tunica interna venarum incitabilior videtur, quam arteriarum.

Causa hucusque vix nota, sicuti et quaerenti, qua ratione efficiatur, ut venarum inflammationes,

symptomata iis simillima, quae in typho nervoso occurrunt, comitentur, vix quisquam satisfacere potest. — Explicatio autem ea, quae profluvium puris ejusque commixtionem cum sanguine tanquam causas profert, fere nemini sufficere, dum pus certo saepe cum sanguine circulet, cum ex abscessibus resorptus, hisce symptomatibus absentibus alibi refunditur. Causa horum phaenomenorum profundior sane, et quidem in proportione singulari systematis vasorum erga nervorum systema reperienda videtur, quae quidem in venarum morbis alio modo quam in iisdem arteriarum se prodit.

Hisce opinionibus modo praelatis, hypothesin hanc, quae simul ad venarum inflammationis medellam spectat, hic addere mihi liceat. Nonne forsitan sanguinis venosi elementa, quae praevalet, hydrogenium et carboneum, pure admixto magis etiam augentur? Talis, ad pulmones deductus, sanguis cum quantitas oxygenii recepti vix sufficiat, non omni ex parte in arteriosum mutatur, sed characterem venosi adhuc secum ferens, in ramificationes tenuissimas arteriarum transit, quae loco oxygenii nunc superfluum carboneum in musculis deponunt, unde mihi quodammodo magna defatigatio atque debilitas et

respiratio perturbata, nec non anxietas explicandae, quin etiam symptomata nervorum, quae serius adveniunt, interpretanda mihi videntur. Nam observationes, de inspiratione carboni et hydrogenii lactae, affirmant, iisdem symptomata, venarum inflammationi simillima, enasci, quae, cum omnibus constant, silentio transeunda esse arbitror.

Huc usque tantum in venarum inflammationibus cum methodo antiphlogistica feliciter versabatur, et equidem credo, medicum, ubi de presentia venarum inflammationis certior factus est, non respicere, apparentem, quae eam comitatur infirmitatem, sed potius, sicuti postulatur, modo localem modo generalem sanguinis evacuationem adhibere, et tunc levia catarectica salia neutra, et calomel ordinare debere, cum, ut jam antea dictum est, hae inflammationes per excretiones, etiam si arte perficiuntur, debellari solent; simul et externe, ubi fieri potest, fomentationes emollientes et cataplasmata commendanda sunt *). Sanguinis emissio mihi hac in re non so-

*) Nam premendo progressum inflammationis cujusdam venae coercere, ut Hunter commendat, mihi conatus periculosior videtur; credo enim, sicuti quaeque alia inflammatio, etiam hanc, pressionem non

lum qua talis, i. e. diminutione impetus sanguinis in loco inflammato, sed et eo efficaciam quandam monstrare videtur, quod, diminuta sanguinis quantitate, venarum sanguis elementa sua ultra statum normalem secum ferens, in pulmonibus melius oxydari potest, carbenco et hydrogenio forte privatur, plane in arteriosum mutatur qua re sine dubio in his casibus venae sectionibus factis, saepius animadvertebatur, maximam infirmitatem evanuisse, respirationem impeditam, nec non parvum pulsum et frequentem cessasse. — Haec omnia atque singula me commoverunt, prius memoratam hypothesin in medium proferre, quae si dimicari etiam possit, tamen et excusanda videtur.

Haec mihi de venarum inflammatione praemitenda visa sunt, priusquam paucis quae potissimum ad supra dicta respiciunt, assertionem meam, febris causam venae inflammationem in historia morbi, quam enarravi, fuisse, defendam. Febris, ut supra dixi, post apoplexiam omnino cesserat, aegrotata sine

pati, et experimentum non repetere licebit. Omnino Hunter, quamvis casum hac ratione feliciter sanatum enarrat, systemati venarum minorem dignitatem tribuere, ideoque sententias veterum sequi videtur.

omni symptomate morbifero fuit, et tantum infirmitas, quae repente evanescere non potuit, non plane sublata erat. Interea nunc inflammatio venarum formata est, doloribus obtusis et immobilitate brachii incipiebat, subinde calor, dolores brachii et tumor venae ortus, nunc pulsus frequentior et respiratio impeditior facta, ita, ut status febrilis apertus esset. Quin venarum inflammatio vera adfuerit, nemo secundum symptomata, ante jam memorata, sane dubitabit; et extra omnem dubitationis aleam hoc mihi positum esse videtur, si decursum venarum inflammationis omnino cum stadio ultimo morbi hujus comparamus, qui fidelissimam praebeat ejusdem imaginem.

Denique mihi liceat, id quod de venarum inflammatione dictum, partim quorundam auctorum locis *) partim observationibus duabus, fere eodem tempore in chirurgico Nosocomio factis, confirmare.

*) *Ueber das Venensystem in seinen krankhaften Verhältnissen*, von p. 70 — 148.

Morgagni de sed. et caus. morb. ep. 45. art. 16.
Blancard. Anat. pract. rational. Amst. 1688.

Cent. II. observ. 73.

Erauk. Epit. de cur. hom. morb. lib. I. p. 187.

Ibidem. Lib. II. p. 175.

Rusticus quidam, annos triginta octo natus, jam ante novem annos lapsa arbore excisa in dextri pedis articulatione vulnere magno laboraverat, ita, ut eo

Krensig. Die Krankheiten des Herzens. Bd. II. S. 106.

Jo. Chr. Albersii commentarius de diagnosi asthmatis Millari strictius definienda. Praefatus Jo. Abr. Albers. Goetting. 1817.

Sasse, Ge. Guil., de vasorum sanguiferorum inflammatione. Hal. 1797. p. 45.

Ibidem 1. c. p. 38.

Reil, über die Erkenntniß und Kur der Fieber. 2. Bd. Halle 1804. S. 329.

Clarke. Pract. essays on the management of pregnancy est. p. 63, 72.

Wilson. Transact. of a society for the improv. of med. Knowledge. vol. 3. p. 65.

L. c. p. 80.

De sed. et caus. morb. ep. V. art. 11. ep. VI. art. 12. ep. VII. art. 4, 6, 9, 11, 13. ep. VIII. art. 2, 23. ep. XIV. art. 35. ep. XXIV. art. 16, L. 11. art. 6. (Morgagni.)

L. c. ep. VIII. art. 2.

Sasse I. c. p. 32.

Ibid. p. 36.

Ostlander, neue Denkwürdigkeiten für Aerzte und Geburtshelfer. 1. Bd. Göt. 1797. S. 56.

Bichat. Anatomie générale appliquée à la physiologie et à la médecine. T. I. (L'an 1801) p. LXX.

Schmuck. Diss. sist. observat. med. de vasor. sanguifer inflammatione. Heidelb. 1793.

tempore paene per sex menses in Nosocomio academico chirurgico recumberet, et, quamvis non omnino sanatus, dimissus esset. Semper aperto ulcere, usque ante sex menses tolerabili, tum vero magis magisque aucto, et doloribus acerbissimis partes profundiores artus devastante laboraverat. Per dies

Hunter. Transactions of a society for the improvement of med. and chirurg. Knowledge. T. I. Lond. 1793. p. 18.

Samml. auserles. Abhandl. für prakt. Aerzte. Bd. 17. S. 60.

Med. Commentarien, von einer Gesellschaft der Aerzte zu Edinburgh. Aus dem Engl. 3. Thl. Altenburg 1776. S. 465 ff.

Transact. I. c. p. 23 sqq.

Med. Commentarien etc. 4. Bd. Aus dem Engl. Altenburg 1778. S. 206 ff.

Ebend. S. 221.

Surgical observat. p. 147. Uebersetzt von Brandis. S. 178.

Corvisart etc. Journal de médecine, chirurg., pharmacie etc. T. XII. Par. 1806. p. 412.

Hodgson. L. c. p. 527.

Ibid. I. c. p. 526 ad 527. — *Ebend.* S. 526. Note.

Ibid. I. c. S. 537. Note.

Dissertation sur l'inflammation de veins. Par. 1815.

Clarke, on the management of pregnancy.

noctesque doloribus cruciatus, pedis usu paene semper, ut visum est, privatus, die vigesimo secundo Februarii in Nosocomium denuo recipiebatur. Rem explorantibus caries vastans metatarsi atque tarsi apparuit, imo extremitates inferiores tibiae ac fibulae valde affectae erant. Ubique abscessus inveniebantur. Locis currente tempore destructis at rursus reproductis durum quid et cartilagosum inerat, et artus usum impediēbat. Maxime autem textura atque structura, quae supplemento partium exulceratarum vicinarum esse possent, deerant. Simulque duae vel tres glandulae inguinales, ulcere diutissime perdurante, in magnitudinem nucis juglandis creverant. Haec omnia, nec non diuturnitas mali, quo vires jam debilitatae aegroti in longum tempus absumi oportuit, nullam spem sanationis ulcers praesentis reliquerunt, et tantum in amputatione artus levamen verosimile visum est.

Ut aegrotus autem vires reciperet, dies nonnulli concedebantur, per quos spiritus Therebinthinae in loca dolentia intritus est. Die vigesimo quinto tandem Februarii hora undecima antemeridiana operatio sectione circulari in sura, maxima cum diligentia atque arte, paucis momentis praeterlapsis, per-

acta est. Deligatione applicata aegrotus ad lectum ducebatur, et, ex vasis parvis sanguine guttatim adhuc manante, frigida cataplasmata in truncum posita sunt. Aegrotus, operatione facta, optime se habuit, pulsus, multo sanguine amisso, plenus et paululum frequentior erat; nec de doloribus in trunco conquestus, bene alentes cibos atque paululum vini accepit. — Postero die omnia bene succedebant, parva tantum febris vasorum, quae nequaquam characterem asthenicum habebat, et cui acida vegetabilia opponebantur. Alvi fluxui lento clysmate emolliente medela adhibebatur; aegrotus cum appetitu quamvis pauca edebat; truncus bene se habuit, dolores in ipso minimi.

Die vigesimo septimo Februarii status ut heri erat; cataplasmata frigida tantum, partim quia periculum haemorrhagiae post operationem nullum, partim quia truncus nimiam inflammationem mutari non videbatur, ommissa sunt. Dimidium superius labiorum vulneris paene conjunctum, inferius adhuc crusta quadam, quae neutiquam detrahenda videbatur, obductum erat. Ceterum cutis lobi quodammodo cum musculis trunci jam conjuncti videbantur. Proximis diebus dolores in trunco cum horripilatione

intermittente apparere, cumque suppurationis initium inde colligerent cataplasmatibus aromatico-vinosi processum illum adiuuare tentauimus. Febris autem motus, qui adueniebant, nec certi, nec aperti. — Die septimo post operationem factam dolores in trunco creuerant, et fluctuatio parua sentiebatur, crustae marginum vulneris, paululum aperiebantur, unde tenue, cum sanguine iam prius emanato mixtum, pus effluebat; tunc dolores etiam trunci evanescebant. Cutis lobus laxitatem non exoptatam ostendebat, ejusque epidermis discedebat; ceterum aegrotus bene se habuit. Loco potus cerevisiam optavit, quam, cui prius iam assuetus erat, accepit. — Effluxus postero die ex trunco benignus et paululum crassior, omnisque valetudo satis bona. — Die nono post operationem non optata animi mutatio apparuit, aegrotus valde moerebat, et de molestiis totius corporis, de appetitu deleto, nec non de dolore molesto in dextro femore conquerebatur, pulsus plenus atque paululum frequens, et lingua muco obducta erat. Ad crus lavandum spiritus camphoratus, et pulv: cort. Chinae \mathfrak{zj} cum pulvere cort. Cinnam. \mathfrak{zj} per tria cochlearia parua quotidie praescriptum est. Postero die aegrotus ex parte stupidus, et taci-

turnus fuit, atque parum conquestus est. Pulsus vero frequentior, lingua interdum sicca, sitis fortior et appetitus deletus erat. China bene digesta porro data; et externe cataplasmata aromatico — vinosa applicata sunt; effluxus puris enim, quamvis liber, male redolebat, et granulationis iam incipientis productum laxum, planum, atque perlucens erat.

Die decimo primo post operationem, status soporosus aegroti auctus, febris fortior, lingua siccior, appetitus omnino deletus et dolores colici cum diarrhoea apparere. Simul et tussi vehementi accedente magno cum labore tantum, aegrotum dolores in pectore sentire, intelligi licuit. Suppuratio, quamvis non aucta, cum rima vulneris exitum non impeditum praeberet, pejor facta erat, et hodie ligaturae fila discedebant. Cum aegroti pulvis cort. chinae non conveniret, decoctum chinae ex $\mathfrak{z}\beta$ ad Colat. $\mathfrak{z}\text{v}\text{ij}$, cui etiam Tinct. rhei aq. $\mathfrak{z}\beta$ et liquor. anod. m. H. \mathfrak{zj} additae sunt, praescriptum est, cujus quatuor cochlearia majora quotidie accepit. — Postero die aegrotus paene semper dormivit atque sudavit; pulsus diminutus, lingua sicca et muco ex fusco-nigro obducta erat, atque in crure dextro parvi motus convulsivi apparebant.

Die decimo tertio ex operatione facta vires aegroti evidenter defecerunt, urina haud voluntario in lectum profluxit, diarrhoea autem diminuta erat. Hodie praeter medicamenta jam praescripta adhuc emplastr. vesicator. ad suras applicatum est. — Postero die pejora adhuc omnia; lingua sicca, ex fuscorubra et obducta, appetitus deletus, pulsus diminutus, atque frequentissimus erat; aegrotus sempiterno sopore prostratus erat, et involuntarie alvi excretiones lectum ingyinerunt; simul sudor colliquativus praecipue in superiori corporis parte conspicuus fuit. Nunc infusi ex rad. serpent. Virg. $\mathfrak{z}\mathfrak{B}$ ad Colat. $\mathfrak{z}\mathfrak{v}$ cui, camphor. subact. grxxij et Tinct. calam. arom. $\mathfrak{z}\mathfrak{ij}$ additae erant, per binas horas unum cochlear majus dabatur; in pectus Emplastr. Vesicat. applicabatur, et interdum jusculum cum vino et vitello ovorum instillabatur. — Sequente die febris symptomata aucta et insigniora erant, et meteorismus apparebat; aegrotus, in apathia cum sudore colliquativo, de nihilo conquestus est. Accepit nunc infusum ex rad. Serpentar. Virg. $\mathfrak{z}\mathfrak{B}$ ad colat. $\mathfrak{z}\mathfrak{vj}$ cum Camphor. gr. xvi et Naphthae sulphur. $\mathfrak{z}\mathfrak{ij}$, et oleum carvi ad abdomen applicandum, et acetum camphoratum ad spinam dorsi lavandam; praeterea

etiam in latere interiori sinistri cruris vesicatorium ponebatur. In trunco pedis irritabilitas aucta, et suppuratio mala erat. In latere interno cruris dextri, fere musculum sartorium sequens, duriusculus atque dolorosus funis quasi observabatur. — Hisc phaenomenis enarratis, die decimo secundo Martii, stertor etiam accedebat. Aegrotus decocto-infusum ex rad. Serpentar. Virg. et pulv. cort. Chinae ana $\mathfrak{z}\mathfrak{B}$ ad Colat. $\mathfrak{z}\mathfrak{v}\mathfrak{ij}$ sumsit, cui Camphor. gr. xvijj et Aether. sulphur. $\mathfrak{z}\mathfrak{ij}$ additae erant et guttas etiam ex Aether. sulphur. $\mathfrak{z}\mathfrak{j}$ et Tinct. cantharid. $\mathfrak{z}\mathfrak{B}$ accepit. Omnia autem quae diligentia adhuc tentabantur, frustranea erant, aegrotus vesperi expiravit.

Propinquis aegroti, obductionem totius corporis recusantibus, truncum tantum explorari licuit, ubi phaenomena haec sane gravia apparuere,

Cutis lobi laxa, pellucida et helvola granulatione partim in superiori parte inter se, partim cum musculis iisdem tangentibus conjuncti erant. Quod non concretum erat, cavum, ut ita dicam, formavit, cui fere fluidi $\mathfrak{z}\mathfrak{i}$ - $\mathfrak{j}\mathfrak{B}$. in regione ligaturae filii, inerat. Truncus ossium integerrimus; ejusque margines acres et nulla resorptione rotundati erant. Medulla jam nova subflava massa obducta, periosteum externum

ad extremitatem abscissam ossis, reclinatum, et rubens erat. Nec non lymphæ exsudatæ quædam spatia muscutorum dissectorum impleverat, atque conglutinaverat. Vasis arteriosæ magnæ, sanguinis thrombi firmi, ad proximum ramum descendentem porrigen-tes inérant; in vena idem coagulum. Sed memo-ralu dignum, vena saphena flavo, et benigno pure, procul dubio venæ internæ tunica secreto, impleta erat. Nam in aliis locis superficies venæ rubescens, in aliis albescens, et exulcerata; in aliis vero tunica interna cum parvis lobulis, qui facile detrahi poterant, in vasis cavitatem porrigebat. Talis erat vena a trunco usque ad ligamentum Fallopii, quatenus eam explorare potuimus. Ramuli, in venam saphenam ineuntes, haud secus pure, sed tantum prope ostium venæ hujus, impleti erant. Ex hisce rebus satis elucet causa tumoris dolentis, qui in latere interno cruris promnebat, et sane inflammatione et suppuratione venæ degeneratæ enatus fuit.

* * *

Casus secundus, modo enarrato simillimus, serius quidquid in eodem Nosocomio accidebat et fere hic fuit.

Rusticus quidam habitu cachectico, annos quadraginta quatuor natus, cui ante annos sedecim pes

gelu adustus fuit, exinde ulceribus, paulatim dimidium crus, suppuratione et carie omnino deformantibus, cruciatus erat. Per tres annos, status hic excrescentiis, effluvia ichoris putridi, et doloribus acerbissimis, molestissimus evasit, et jam febri lenta accedente, nullum remedium aegrotum sanandi, præter amputationem restabat, quæ die primo Octobris sub genu cum circumcissione a V. C. Moier, chirurgiæ Professore perillustrissimo, summa cum dexteritate atque artis peritia peracta est. Omnia per dies decem optime se habuerunt, si excipias, nonnullas glandulas inguinales jam prius valde tumidas in suppurationem transiisse. Subito die decimo octavo Octobris febris vehementior accessit, quam postero die horror fortis, et sudor, nequam vero intermissio secuta est; lingua sicca, pulsus minimus, et frequens erat. Hic status per dies nonnullos cum maximæ defatigationis et lascitudinis sensu perdurabat ita, ut aegrotus vix se movere posset, non nisi semel tantum de doloribus, et quidem in sinistro pectoris latere, quo in loco olim equi ungula vulneratus fuerat, conquestus est. Appetitus deletus, alvi excretio paene naturalis sed lenta, et urina paululum mutata, nec capitis affectio, nec animi defectio

adluit; nihilo minus autem stupor maximus aegroti semper tacite, plerumque oculis reclusis, sed sine somno recumbente, erat. Quotidie tamen duo paroximi horroris maxime concutientis, apparebant; locus amputatus, omnino non mutatus, inflammatione adhaesiva maxima ex parte concretus, ex una tantum parte apertae cutis ichorem aquosum edidit; etiam in glandulis inguinalibus, pus ichorosum factum est. Simul autem cum febre, et in media femoris parte supra vena crurali abcessus ortus erat, qui die vigesimo quarto Octobris, cauterio apertus, focum puris supra fascia lata ostendebat. A loco amputato, usque ad abcessum, nigricans laqueus intensus sub cuti porrectus atque decursum venae saphenae magnae secutus, animadvertebatur. — Inde ex vigesimo die Octobris aegrotus decoctum Chinae cum elixir, acid. Haller., tunc pulverem Chinae et Aetherem, et subinde etiam moschum, et denique, ventriculo chinae pulverem male ferente, decoctum Chinae cum Camphora acceperat. — Die vigesimo quinto vesperti, statu repente mutato, pulsus rarior, validior, lingua antea semper sicca nunc humida fiebat, et aegrotum desiderium edendi capiebat. — Postero die post levem somnum pulsus validior, paene normali similis,

lingua ut natura postulat humida, et vultus aegroti vigentior erat; nihilominus autem nec sudor, nec sedimentum urinae, nec alia excretio critica apparuit. Vespere contra omnia in pejus mutata, pulsus frequentior et lingua sicca erat. — Die vigesimo septimo pulsus vix sentiendus, respiratio valde impedita, nasus frigidus, facies Hippocratica, et postero die hora matutina decima aegrotus, nocte in sopore peracta, mortuus est.

Sectione facta, pes amputatus pinguior altero, et truncus bene sanatus; rima cutis vero aperta, apparuit. Ossium margines obtusi, et fibula paululum a carie affecta, erant, ligaturae autem fila, secundum methodum *Lawrencii* relicta, aliquantulum puris circumdabat; vena saphena a trunco usque ad abcessum in medio femore thrombo repleta, et inde ab abcessu plane deformata, infra hunc locum tres quadrantes pollicis aperta et coaguli lymphatici plena erat. Hic autem thrombus lymphaticus, et supra eum pus albicans, quod venam ab hoc loco, usque ad ejus introitum in venam cavam per spatium paene quinque pollicum, turgens implevit, reperiēbatur. Tunica interna venae cruralis et iliaca excoxiata et paene macerata, adspectus totius canalis

nigricans et gangraenosus; et musculi iliaci interni, sicuti psoas major in propinquitate venae affectae lividi erant. Infra puris accumulationem, concretum lymphaticum observabatur; supra eam sanguis ex vena iliaca in venam cavam libere manaverat, qua ratione verosimiliter pus secum ferens, sanguinis massae admiscuerat. Pectoris cavitate aperta, pulmo sinister, ubi aegrotus in juventute equi ungulae ictum acceperat, et morbo durante de doloribus conquestus erat, concretus, et in hujus concretionis dimidio sphaericus puris abscessus paene duorum pollicum in transverso apparebat: pus quod inerat crassum et caseo simile erat. In latere pectoris dextero, sub cute et inter fasciculos musculi pectoralis majoris, parva puris secretio inveniebatur. Intestina abdominis normalia, lien autem magnum, molle et purpureum erat; omnia cordis cava autem molli lymphatico coagulo impleta erant.

* * *

Sententiae, venarum inflammationem mortem in his etiam duobus casibus, de quibus prius optimum sperare licuit, effecisse, nemo contradicet, qui decursum venarum inflammationis prius enarratae, ante oculos habet.

Nisus magnus ad pus creandum in utroque casu, ex eo mihi explicandus videtur, quod natura, jam per annos secretioni hujus fluidi assueta, et amputatione facta, subito organo secretionis corpori erepto sibi novum ejusmodi formare nitebatur. Hoc primum factum est in glandulis inguinalibus, tunc in medio crure. Attamen hoc, ut videtur, non sufficiens fuit, qua re et in alios locos deiecit, ut in parietes thoracis, praecipue autem in venas pedis laborantis. — Nisus venarum suppurationis in ejusmodi casibus saepissime accidere videtur, nam *Richardus Carmichael**) jam, inflammationem venarum in magnis operationibus causam primariam mortis esse, et saepissime pro Typho haberi asserit. Observandum autem, phaenomena inflammationis venarum multo magis in sphaeram vitalitatis organismi vegetativi limitatas esse oportere, quia hic systema vasorum sanguiferorum peculiariter atque primarie affectum est; cum contra in aliis febribus gravibus quamvis systema vasorum tamquam focus earum constituat, systema nervorum tamen, semper plus, aut minus directe aut indirecte

*) *Salzb. med. Chirurg. Zeitung. J. 1819. Nr. 70.*

simul laborare solet, et caput quoque in ipsis febribus simplicibus, ex adynamia vasorum natis, non in affectum maneat, ubi pulsus maxime lapsus, calor animalis diminutus, lingua quasi usta et vis muscularis exhausta est.

Qua autem ratione in hisce enarratis casibus mors effecta sit, et quomodo in inflammatione venarum in genere oriri solet? huic quaestioni adhuc in calce opusculi mei a me satisfaciendum est. Hanc vero sententiam statuere velim: simulac suppuratio in venis, jam justo nimis sanguine carbonico ob antecedentem inflammationem impletis, nascitur, pus cum sanguine circulabit, in dextrum cordis atrium transgressus forsitan primo nimio carbonico, cor nec non vasa incitat (qua re pulsus frequens oriri mihi videtur); in pulmonibus, ut jam supra dictum, non omnino oxydari potest, ideoque extremitates artiarum loco oxygenii, carboneum et hydrogenium transmittunt, quae, durante tempore, pure semper transfluente, augentur; nervorum incitabilitas simulque inde dependens systematis irritabilis receptivitas minuitur, et hac ratione paralysis horum systematum producitur, quam mors sequi debet. Ubi praeterea vicaria secretio oritur, vires corporis humo-

rum jactura exhauriuntur, unde major debilitas nascitur, nonnullae functiones essentielles turbantur, vires modo dictae adversariae adjuvantur, et interitus jam haud evitandus, citius adducitur.

T h e s e s.

1.

Haemorrhoidum fluxus venarum reactione aucta nititur.

2.

Pulsus non pendet a contractione et expansione arteriarum.

3.

Discrimen inter inflammationem asthenicam et sthenicam non statuo, quia semper una eademque est.

4.

Tussis convulsiva plerumque ex inflammatione bronchiorum exoritur.

6.

Febris puerperarum plerumque peritonitis est.

6.

Arthritis est inflammatio articularum; et concrementa arthritica iisdem non ex materia arthritica sed ex inflammatione antecedente oriuntur.

7.

Rheumatismus est inflammatio vaginarum musculorum, et tantum sede ab arthrite dignoscitur.

8.

Phthisis pituitosa, qua talis nunquam in suppurationem transit.
